



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXIV. Quare Christus in cruce, fugiente jam anima, exclamaverit: consummatum est? O utinam considerent hoc omnes!

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXIV.

Quare Christus in cruce, fugiente jam anima, exclamaverit: Consummatum est?

Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Jo. 19. 30.

I.

1. Petr. 3. 20.

S. Aug. lib.
15. de Civit.
Dei c. 26.
S. Cyrill. lib.
16. in Jo. e. 17.

Luc. 14. 30.

Luc. 18. 31.

Jo. 19. 30.

Centum annis laboravit Noë, donec arcam suam perficeret, per quam ab universali diluvio salvaretur genus humanum, in qua tamen non plures quam octo animæ conservatæ sunt: Christus Dominus in cruce paucis horis meliorem arcam pro Electis suis fecit, & consummavit, & ideò morti jam proximus post tot exantlatos labores ac dolores dixit: *Consummatum est*: videlicet cœlestis arcæ ædificium; & quia solùm post obitum ejus adhuc supererat ostium in latere arcæ faciendum, in corpore ejus felix hæc janua per militis lanceam aperta est, ita S. Augustinus: *Quod ostium in latere accepit, profectò illud est vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum est.* S. Cyrillus Alexandrinus per arcam illam Noëmicam Christi crucem intelligit: *Hæc, inquit, est arca Noë, per quam salvamur à diluvio inundantis aqua vitiorum, & incolumes salvamur.* Non dicat mihi aliquis illud Lucæ: *Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare*; Cœpit ædificare, dum Verbum in utero Virginis incarnatum est, & consummavit in passione & cruce: *Consummatum est.*

2. Christus Dominus, cum paucis ante passionem diebus cum Discipulis Hierosolymam ascenderet, in via inter alia illis futuram suam prædixit passionem, ut magis eos in fide confirmaret: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio Hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.* Observa hic ad propositum tò *consummabuntur omnia &c.* O Domine Jesu! Ecce in cruce & in morte tua consummasti omnia, ideò fugiente jam animâ, valido clamore in præsentia tot millium circumstantium exclamasti: *Consummatum est.*

Innu-

Innumera ferè sacrificia de mundis animantibus Deo quondam in veteri lege per quinque mille annos à tempore Sacrificii Abelis oblata sunt, per quæ omnia sacrificia, teste Cornelio, Christus Dominus & hic crucifixus adumbratus est; unde à S. Joanne dicitur: *Agnus ab origine mundi occisus*, qui solus de condigno & de rigore justitiæ Patri pro peccatis nostris & totius mundi poterat satisfacere, hinc in articulo mortis & sine vitæ dixit: *Consummatum est*; hoc est: omnia illa sacrificia & holocausta, quæ me præfigurabant, quorum omnium loco ego in ara crucis tanquam hostia cruenta oblatas sum, unde Apostolus dixit *suam legis esse Christum*.

Apoc. 13. 8.

Rom. 10. 4.

Deut. 32. 4.

3. *Dei perfecta sunt opera*, dicebat quondam Moyses ad Israelitas, & non sunt sicut opera hominum, caduca, manca, incompleta & vitiosa, in quibus penè semper aliquid deest; hic, inquam DEUS infinite potens, verè Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis perfecit opus creationis die sexto, & die septimo requievit. Ita & Filius die sexto consummavit opus redemptionis, & die septimo requievit, quod per verbum illud Laconicum & sextum in cruce insinuare voluit: *Consummatum est*, quod verbum complectitur omnia Prophetarum de Christo vaticinia.

Jo. 19. 30.

Jacob moriturus convocatis filiis prophetavit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Hoc completum est tempore Christi. Ex quo loco convincuntur Judæi Messiam jam venisse, eumque tempore Herodis esse natum, ubi defecit sceptrum de Juda: Ecce hoc completum est.

Gen. 49. 10.

Isaias prædixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*. Michæas: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Vates regius: *Reges Tharsis & insula munera offerent &c.* Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & pullum filium ejus*. Mitto quàm plurima aliorum Prophetarum vaticinia. Lege Psalmum 21. qui totus de Christo patiente & crucifixo est, quomodo compleverit omnia, quæ de ipso scripta erant, hinc dixit in fine vitæ: *Consummatum est*. Subintrat hic Cornelius: Porro Christus in cruce continuè orans, se seque totum Deo in victimam offerens pro salute hominum, sub finem vitæ jam moriturus recitavit Psalmum 21. qui totus est de Passione Christi, ut ostenderet se esse illum ipsum, de quo Psalmus ille agit, scilicet Messiam, ut Scribæ & Judæi scrutentur, & cognoscant causam, cur è cruce nolit descendere, vel liberari, esse hanc, quòd ex Patris decreto moriendum illi

Isa. 7. 14.

Mich. 5. 2.

Psal. 71. 10.

Zach. 9. 9.

Cornel in

Matth. 27. 46

Ginther Unus pro omnibus.

N n

erat

erat in cruce pro salute hominum; hoc enim David Psalmo illo fore prædixit. Hæc Cornelius.

Exod. 2. 3.

1. Reg. 1. 24.

Job. 2. 6.

4. Reg. 2. 21.

2. Reg. 16. 6.

3. Reg. 19. 4.

2. Reg. 20. 9.

Hier. 37. 14.

Gen. 22. 13.

Gen. 22. 6.

Num. 21. 9.

Jonæ 2. 11.

Math. 26. 54.

Luc. 24. 26.

S. Aug. cit. à

Bellar. de 7.

Verb. D.

Math. 24. 37.

Jacob. 1. 15.

4. Si figuras quæris? Moysen infantulum considera, & expositum in carrecto ripæ fluminis. Samuelem puerum in domo Domini in Silo Deo oblatum. Jobum à Satana tentatum, & ulcere pessimo percussum. Eliseum illusum: *Ascende calve*. Davidem à Semei lapidibus peti- tum. Eliam sub umbra juniperi se projicientem. Amasam à Joab proditoriè interfectum. Jeremiam in carcerem missum, & vir- gis casum. Arietem inter vepres hærentem, & spinis coronatum. Isaacum ligna holocausti ad montem Moria ferentem. Serpentem aneum à Moysè pro signo in deserto exaltatum, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Jonam in ventre piscis tribus diebus ac noctibus inclusum. Sed ad quid ista omnia? Audi in cruce morientem Jesum: *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est*; omnes istas figuras & plures, quæ de ipso erant, exactè adimplevit; unde ad Petrum in monte Olivario dixit: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae? Quæ quasi oracula Dei dicunt, & prædicunt, quia sic oportet fieri? Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: quia sic prædixerunt Prophetæ; quia sic Deus Pater ab æterno decrevit; quia hoc exigebat redemptio nostra, ut ejus pretium ipse Dei Filius in cruce perfolveret, unde dixit moriens: Consummatum est.*

5. O quàm insignes fructus ex hoc Christi verbo possumus de- cerpere, si attentè illud consideremus: *Consummatum est*; Sic erit in consummatione sæculi: Consummata sunt omnia, quæ sancti Prophetæ prædixerunt futura de Christo patiente & crucifixo, quia non humana voluntate, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt. Verùm enim ve- rò adhuc aliqua restant adimplenda: *Sicut*, ait S. Augustinus, *usque ad hodiernum diem omnia evenerunt: Sic & quæ restant, eventura sunt. Timeamus diem judicii; venturus est Dominus, qui venit humilis, veniet excelsus &c.* ita dico hunc diem timeamus, & ultimum vitæ nostræ, quia improvise ve- niat: *Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nudentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit dilu- vium. & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis; Vigilate itaque, quia nescitis neque diem neque horam.*

6. O felix verbum *Consummatum est*. Et quemadmodum peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem, sic passio & mors Chri- sti in cruce, cum consummata fuit, destruxit peccata, & nobis genera- vit vitam. Sufficiebat quidem ad redemptionem nostram unica dun- taxat pretiosissimi divini Sanguinis stilla, sed ultimam dedit, unde S. Chry-

Chrysoftomus: *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amor, venit enim Filius hominis, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Ex hoc verbo adhuc aliud morale documentum possumus eruere: Hic discendum est, ait devotissimus Lanspergius, ita à nobis esse vi-
vendum, ut in ultima hora vitæ nostræ securi, atque cum gaudio con-
scientiæ dicere possimus: Consummatum est, hoc est, quidquid me
Deus agere, patrique voluit, finem habet, omnia perfecit, omnia tole-
rari, nihil mihi superest aliud, quàm ut egrediar ad Dominum Deum
meum, à quo coronam vitæ recipiam. Hoc Paulus audebat dicere:
Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo
reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Ju. 4. 7.
2. Timoth.
dex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. O felix
consummatio! hanc mihi & tibi animitus exopto,
charissime Lector.



CONSIDERATIO LXXV.

Meritò confundi debent omnes superbi,
dum Christum crucifixum intuentur, ac
considerant.

*Vidimus eum, & non erat aspectus: unde nec reputa-
vimus eum. Isa. 53. 2.*

I.

Rebecca, de qua Scriptura: *Puella decor animis, virgoque pulcherrima, nunc desponsata Isaaco, ubi hunc sponsum suum in habitu vili in agro, die jam inclinata, deambulantiem & meditantem primâ vice conspicata est, Eliezer servum Abrahami primarium & procuratorem istarum nuptiarum interrogavit: Quis est iste homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Cui respondit Eliezer: Ipse est Dominus meus. Vix hoc audierat Rebecca, sine mora de camelo suo descendit, & se usque ad terram demisit, honoris sponso suo*
Gen. 24. 65.

N n 2

fuo